

greges, & eos quidem numerosos, item & episcopos continua diuturnaque successione habuerunt, item & Ephesi, quæ duæ fuerunt Orientalis imperii ciuitates præcipuæ. Sed & Cyzici, & aliis in oppidis. Socrat. libro 5. cap. 10. Romæ tamen tam libere conuenire nunquam sunt ausi, sed nec potuerunt, quòd Occidentalis Ecclesia purior adhuc in eo doctrinæ capite & in vitanda cum hereticis societate erat. Itaque statim eiectione Roma, aliò demigrarunt. Idem Socrat. libr. 7. cap. 11. Non fuerunt tamen ipsi inter se concordēs Nouatiani, sed sectas quasdam constituerunt, quales erant Quartidecimani. Durauit autem hæc hæresis diutissime, adeò ut sub Arcadio imperatore etiam continuatione quadam floruerint. i. post annos 148. à suo exordio. Tandem variis Ioannis Chrysoptomi Constantinopoli, Cyrilli episcopi Alexandria, & Innocentii I. Romæ disputationibus & concionibus exagitati & refutati, delituerunt. Denique prorsus ipso Nouatianorum nomine (nam & Romana Synodo damnati fuerant) esse desierunt. Recepta tamen est hæc hæresis, & repetita, interpolato nomine à Pelagianis: deinde à Papistis retenta: quia omnes hi meritum operum nostrorum defendunt.

2. *Secundas nuptias.*) Variæ fuerunt Nouatianorum hypotheses. Ac prima hæc, De meritis operum suorum gloriantur, Isidor. Hæc enim vna ratio vel maximè fanaticos istos impulit ut se Catharos appellarent. Hoc venenum nocentissimum est, & facile in omnium hominum pectora gliscit, qui se suaque stulta quadam *φιλαυτία* admirantur. Ex quo factum ut statim hoc dogma plausibiliter exceptum,